

titulis intervenientibus rite et rationabiliter vendidimus pro sex sexagenis grossorum Pragensium, renunciantes omni iuri, quod nobis et nostro conventui seu ecclesiae nostrae in eisdem bonis competebat competit vel competere posset quomodolibet in futurum, indulgentes praedictis dominis sanctae Aefrae praenominata bona in Ruental, quae sibi comparaverunt, ut propria teneant, aut si residuam partem dictorum bonorum in Rvental comparare decreverint, ipsam rite et rationabiliter teneant tamquam suam, aut si eadem bona in Ruental seu partem ipsorum aliquibus conferri concedi seu porrigi contingat, collatio concessio seu porrectio ab ipsis dominis sanctae Aefrae petatur, et iidem domini sanctae Aefrae praenominata bona seu partem eorum ut nos hactenus conferant et concedant, et concessionis collationis seu porrectionis de cetero perfruantur libera potestate; verum cum proprietates dictorum bonorum in Ruental in nostris litteris et privilegiis cum proprietatibus aliorum bonorum nostrorum sit inserta, litteras seu privilegia nostra dictis dominis dare nequivimus, sed praesentes litteras nostras super renunciatione totius iuris nostri dumtaxat in Ruental praedictis dedimus praenominatis dominis sanctae Aefrae, volentes eos virtute privilegiorum nostrorum in possessione proprietatis et iuris eorundem bonorum in Ruental perpetuo et inviolabiliter conservare. In cuius rei testimonium sigilla nostra duximus praesentibus apponenda. Huius rei testes sunt honorabiles domini Alb. de Lyzenik praepositus ecclesiae Misnensis, Lutoldus decanus eiusdem ecclesiae, Chonr. de Strelis praepositus Wrzinensis, Johannes de Strelis archidiaconus Lusaciae, Reinhardus de Vroburg archidiaconus Nisicensis, Hermannus praepositus Budsinensis canonici praedictae ecclesiae Misnensis, Nicolaus de Gana, Reinzko, Hermannus de Ceryn, Albertus Ekhardi perpetui vicarii eiusdem ecclesiae Misnensis, magister Paulus cum aliis pluribus fide dignis. Datum et actum anno domini millesimo CCC<sup>o</sup> vicesimo septimo in die beati Donati martyris et pontificis.

Et nos Withego dei gratia episcopus ecclesiae Misnensis in evidentiam praemissorum sigillum nostrum duximus praesentibus apponendum. Datum ut supra cum subscriptione testium praenominatorum.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Siegel des Abts an einem Pergamentstreifen. Zwei andere gleichfalls an Pergamentstreifen befestigt gewesene Siegel sind abhanden gekommen.

## No. 202. 1332. 24. Juli.

*Otto gen. Heyden und Otto gen. Junge Burggrafen zu Dohna eiqnen dem St. Afrakloster  
Zinsen zu Merenwitz.*

Nos Otto dictus Heyden de Donin et Otto dictus Junge de Donyn fratres recognoscimus publice profitentes, quod Conradus dictus Bulingis fidelis noster in praesentia nostra constitutus coenobio canonicorum regularium sanctae Aefrae in Misna duo talenta annui census in villa Merenwitz<sup>a)</sup> siti, quem a nobis feudali titulo possederat, donavit ita, quod filius Swidigeri quamdiu vixerit dictum censum tollat. Quare

a) Merbitz, Par. Briessnitz.